



1201.

Lam uilband

007a

14

EXERCITATIONEM ACADEMICAM  
DE  
**VERA INDOLE**  
**FEVDI ET OFFICII**  
**NOBILIS**  
*ADSPIRANTE DIVINA GRATIA*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO**  
**WILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE ET RELIQVA,  
SVB PRAESIDIO  
**CASPARIS ACHATII BECKII, D.**  
IVR. PROFESSORIS PVBLICI EXTRAORD. SCABINATVS ASSESSORIS  
ET CVRIAЕ PROVINC. SAXON. ADVOCATI ORDINARI  
*PRAECEPTORIS AC HOSPITIS SVI*  
*AETATEM COLENDI*  
IN ACADEMIA IENENSI  
D. XXVII. NOVEMBER. MDCCXXII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
IN AUDITORIO ICC.  
SVBIICIT  
**ADAMVS ANTONIVS MEYER, LL.C.**  
BARVTHO-FRANCVS.

---

IENAE LITTERIS FICKELSCHERIANIS.

14

1  
HAGIOGRAPHIA  
HISTORICA  
LITERARIA  
CARTARIA  
ARCHIVARIA  
ANTIQUARIA  
MATERIALIA  
LIBRARIA  
ARCHIVARIA  
ANTIQUARIA  
MATERIALIA  
LIBRARIA

VIRO  
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,  
DOMINO  
**GEORGIO PETRO**  
**STELZERO**  
ICTO CONSVMMATISSIMO  
SERENISSIMO MARGGRAVIO BRANDENBURGI-  
CO-BARVTHINO A CONSILIIS SANCTIORIBVS  
PARITERQVE AVLAE AC IVSTITIAE  
MERITISSIMO  
RERVM FEVDALIVM DIRECTORI GRAVISSIMO  
CVRIAEC PROVINCIALIS ASSESSORI  
SPLENDIDISSIMO,  
PATRONO MEO AETERNVM  
DEVENERANDO  
SACRVM.

VIR ILLVSTRIS ATQVE  
EXCELLENTISSIME.

GEORGIO PETRO  
STEREERO

EGO CONSVMMAVI  
TERRAM SANCTAM BAVARICAM  
COPA THINOM A COUPIDE SANCTIOBVS  
LARVATORE VALERE AC TANTU  
CARIS FLORENTIA VITÆM  
SCHILDIS


QVod diu multumque in animo agg-  
taui, VIR ILLVSTRIS ATQVE  
EXCELLENTISSIME, nimirum ut esset  
aliquid pietatis & obseruantiae erga TE  
meæ pignus, illud impræsentiarum offerre  
susti-

sustineo. Quamquam vero facile intelli-  
go, hoc ita non comparatum esse, ut vel  
exquisitissimæ TVAE eruditioni, rerum-  
que Germanicarum noticie, satisfaciat,  
vel meo desiderio respondeat; conuenit ta-  
men splendidissimis variis generis muneri-  
bus, ad quæ meritorum TVORVM virtute,  
singularique SERENISSIMI PATRIAE  
PATRIS gratia, euectus es, quibusve ha-  
cetenus cum immortali Nominis gloria, in  
gubernandis, potioribus reipublicæ parti-  
bus, sapientissime functus es. Suscipe er-  
go, VIR ILLVSTRIS, hoc qualecunque  
deuotissimæ mentis pignus, excellentissimo  
Tvo Nomi*ni* consecratum: neque digna-  
re illorum me numero accensere, quibus  
nihil magis curæ cordique est, quam ut  
Tvo frui queant patrocinio. Obtestor  
Numen immortale, ut TE, vñacum splen-  
didissima TVA Familia firmum semper  
valentemque, prospera rerum temporum-  
que fortuna conseruet, omniaque TVA con-  
filia

*filia in posterum quoque ita dirigat, ut in  
reipublicæ salutem, & SERENISSIMI no-  
stri PRINCIPIS cedant emolumentum.  
Ita vroueo atque opto*

ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTIS-  
SIMI NOMINIS TVI

*cultor deuotissimus,  
ADAM ANTONIVS MEYER.*



# DE VERA INDOLE FEVDI ET OFFICII NOBILIS.

## §. I.



Aturam inter omnes homines cognationem & æqualitatem constituisse tum per se manifestum est ad intelligendum, tum certissimo colligitur indicio, quod in celis vnum omnes habemus patrem, DEVUM O. M. & in terris Adamum protoplastum, quodque eodem omnes nascimur, nutrimur, & adolescimus modo, eademque cuncti ex hac vita discedimus porta, denique etiam eandem in tabem aut puluerem omnium corpora resoluuntur.

## §. II.

Nulla itaque nobilium ac plebeiorum discrimina constituit illa rerum aliarum fœcunda creatrix. Sed pro æquali, quo naturaliter omnes mortales gaudemus conditione ac statu, æquali etiam omnes sine exceptione naturaliter censemur iure. Quam quidem naturæ humanaæ, ex eaque profluentis juris naturalis æqualitatem, non agnoscere solummodo, sed merito etiam custodire oportet, omnes rectæ rationis lumine præditos.

## A 2

## §. III.

## §. III.

Praclare hinc aliqui pronunciarunt, primam ac simplissimam iustitiae inter omnes homines rationem ex aliquo æqualitatis iure oriri, & primam veluti naturæ legem, legum ac iurium æqualitatem videri tamdiu, donec inæqualitatis apparat ratio. Confer omnino B. Dn. de Cocceii, in elegantissima, *de Proportionibus, Commentatione, Differ-*  
*tat. II. Sect. II.*

## §. IV.

Verum tamen haud potuit omnimoda illa ac simplissima æqualitas in genere humano commode seruari. Quin & ipsa natura inter liberos suos inæqualem quodammodo fecisse videtur sortem; quandoquidem aliis, benignæ matris instar, amplissima tribuit animi iuxta ac corporis dona; aliis contra nouercali veluti manu tenuia porrexit munuscula. Quam ob rem, ut aliqua sit personarum distinctio, respectusque earum habeatur, naturalis ratio apud omnes gentes constituit.

## §. V.

Quemadmodum vero, quod in unoquoque genere præstans est atque excellens, *nobile* seu noscibile merito dicitur, prout ex aduerso obscurum, nullaque laudis parte conspicuum, *ignobile* audit: itaque nata hinc est distinctio inter homines *nobiles* ac *ignobiles* seu plebeios: quæ tamen communem illam omnium conditionem ac dignitatem, minime tollit, sed hoc tantum designat, aliquos sola illa existimatio-  
ne naturali perfrui, alios contra quodam accidentariae dignationis additamento gandere.

## §. VI.

Ceterum de vero nobilitatis seu prærogatiæ illius fundamento *anceps* est ac impedita disputatio. Ego quidem ra-  
tionem

FEVDI ET OFFICII NOBILIS.

3

tionem sic duco: vti præstantiae opinio atque aestimatio dupli considerari potest modo, primo quanti in se sit ac valeat, secundo quanti habeatur ab hominibus in republica; ita quoque alia est nobilitas naturalis, alia ciuilis; aliudque huius, aliud illius fundamentum.

§. VII.

Evidem veram nobilitatem in vniuersum oportet esse ex censu verorum bonorum. Horum autem in numerum minime veniunt caduca corporis aut fortunarum bona, sed qua animum spectant adeoque æterna sunt. Itaque naturaliter nulla datur vera præstantia ac nobilitas, nisi ex virtute eiusque exercitio proueniens. Quam in rem præclare Iuuenalis, Satyr. 8. v. 20. canit: *Nobilitas sola est atque unica virtus.*

§. VIII.

Qnamquam vero haec præcipuum quoque fundamen-  
tum est nobilitatis ciuilis, negarique haud potest, plerisque  
gentibus placuisse, vt non nisi præclare meriti ciues, certis  
priuilegiis certoque existimationis gradu donarentur, eoque  
pro nobilibus haberentur; sunt tamen pro diuersis rerum  
publicarum institutis complures etiam aliæ ac velut secun-  
daria nobilitatis cauſæ: vnde etiam generalis, in omni ciui-  
tate valitura eius descriptio, dari non potest.

§. IX.

Hasce cauſas prolixo nunc recitare catalogo, diuersissima-  
que omnium populorum in hanc rem placita cumulare, neque  
animus est, neque temporis vel instituti ratio patitur.  
Propius vero ad rem pertinet obſeruasse, Germanorum an-  
tiquissimos in diuitiis, prædiorumque in primis ac fundorum  
possessione, itemque dominica in seruos potestate, præci-  
puam dignationem posuisse. Eaque ex re vocabulum *Edel-*

A 3

MANN,

*mann*, quo patro sermone utimur, explosis, quæ vulgo circumferuntur, allusionibus, deriuandum esse opinamur.

§. X.

Constat enim præsca Teutonica lingua vocem *Od*, *Oed*, vel *Oede*, pro qua hodie dicimus, *Gut*, *prædium*, *fundum* ac bona significare; vnde etiam nunc habemus, verba *All-od*, *Fe-od*, *Sold-od*, *Klein-od*, *Bar-od*, *Ein-od*. Vocabula autem *Mann* antiquissimis rerum Germanicarum scriptoribus, *dominum* seu *possessorem*, *patremque familiæ*, designat. Itaque compositum ex *Oede* & *Mann*, *prædi*i alicuius *possessorem* seu *dominum* indigitat: quem hodie, mutato diphthongo *OE*, in simplex *E*, insertaque, vt sæpe fit, littera *l*, faciliore pronunciatione, vocamus *Edelmann*. Adi Io. Loccenium, in Lexico Sueo-Goth. voce *Odeliord*. et, ill. Dn. de Plönnies, in elegantissima, de *Ministerialibus*, *Commentatione*, *Thes. IIX*.

§. XI.

Continuauit etiam petita a prædiorum possessione prærogativa atque aestimatio non solum per Francorum & Saxorum tempora; sed recentioribus quoque seculis ad nobilitatem vel plane adquirendam, vel tuendam saltem ornandamque ea res insigne attulisse videtur momentum. Id quod vno alteroque probatum dari argumento haud inuolupe, aut ab ratione tractationis nostræ alienum fuerit.

§. XII.

Primo itaque certum est, ab ipsis fundis seu prædiis, vnde primitus censebantur nobiles, eorum appellations atque cognomina sumta fuisse. Plerumque enim hæc ita sunt comparata, vt locum aliquem, vel vicum, prædium, fundum, aut simile quidquam significant; quod ipsum propterea das altväterliche *Stamm-Guth* vocari suavit. Recto hinc indicio

dicio videmus fieri, ut quibus alia est, quam prædialis eiusmodi, ut ita loquar, denominationis ratio, v. g. ab aulico quodam officio desumpta, illi sollennibus particulis, *von, de, ab*, plane non vtantur, licet haud raro optimo iure ac genere nobiles sint, talesque longissimo temporis vsu ab omnibus habeantur. Junge Hertium in Diff. de Feudo Nobili, Sect. 3. §. 4. Dn. de Cocceii, in Iuris Publ. Prud. Cap. 15. Sect. 1. §. 10.

## §. XIII.

Alterum huius rei argumentum est, quod a diuersa prædiorum qualitate ipsi etiam nobilitatis gradus discriminari cœperint. Nimirum fidem faciunt antiquitatis monumenta, haud quaquam libera & ab omnibus præstationibus immunita, sed potius Ducum Comitumque iurisdictioni regulariter subjecta fuisse nobilium bona. Quod si ergo prædium aliquod exemptionem iure singulari impetravit, eaque ex causa *Bar-Od, ein Frey-Gutb*, dictum est, (vocula enim *Bar* liberum & immune quidquam designat) possessor etiam illius, qui proinde *Baro*, hoc est, *liberi prædii dominus*, appellatus, ordinis pariter ac dignitates prærogatiua præ aliis nobilibus iure suo censeri voluit. Similiter vbi prædium nobile in criminalibus quoque cauiss, quod raro accidit, immunitatem accepit a iurisdictione Comitis, possessor illius, a voce *Cent, Centena*, quæ judicium criminale notat, *Cent-bar*, vel *Semper-frey* vocatus est. vid. Lehmann. in Chron. Spir. Lib. 5. cap. 108. Dn. de Cocceii, in Iuris Publ. Prud. Cap. 15. §. 33.

## §. XIV.

Præterea sicut hodieque frequenter fit, ut homines plebeii, diuitiis paulo amplioribus instructi, nobilitatem affestent, impetratisque a Cæsarea Maiestate codicillis, vt pote novæ dignitatis testibus, defectum natalium supplere gestiant:

stant: \* ita quoque antiquioribus temporibus homines plebeii, citra villum aliud priuilegium, ex sola prædiorum adquisitione nobilitatem sibi vindicarunt. *Euenire solebat*, ait Franc. Guillimannus, de Reb. Helvet. c. II. *ut nobiles ipsi prædia sua alii ex plebe & vulgo indulgenter, qui, progressione facta, eo titulo etiam nobilitatem sibi vindicarunt. Quo ex fonte infinita nobilium profluxit multitudo.*  
Add. Hert. Op. Vol. I. Tom. 2. p. 485.

## §. XV.

Ceterum illa ipsa, quæ, vt vere ait Guillimannus, *cit. loc. ex hoc fonte profluxit infinita nobilium multitudo, causa fuit, vt in desuetudinem iuerit isthac prædialis nobilitas institutum. Quando enim seculo nono, & sequentibus, ex rationibus pseudo-theologico-politicis, serui, quorum plenissimum antehac fuerat Germaniæ regnum, cateruatim veluti manuissi, magnam partem in nouiter extructas vrbes se contulerunt, exercendæque mercaturæ ac rei opificiaræ sese dediderunt, atque hac via ad opes parandas fundosque adquirendos naucti sunt occasionem, fere eueniebat, vt, rerum*

---

\* Audiri hac de re meretur Frid. Lichtenstern, in der Schlesischen Fürsten-Krone, Discursu 10, ibi: *Es iß sonst schwerlich ein Ort in Teutschland, in welchem die Bürger dergestalt den Adel-Standt am-biren solten, als in Schlesien; öfters zum größten Ruin ihrer Kinder, Häuser, und Familien lassen sich insonderheit Kaufleute und Krämer, wenn sie etwa etliche tausend Rthlr erworben in den Adelstand, ja wohl gar in den Freyherrn-Standt erheben, und meynen also denen alten Patricius und Geschlechtern, auch Doctoren und Gelehrten gleich zu seyn. Welches aber diese nicht verstehen wollen, und zum Unterscheid dieselben insgemein verächtlich Pfeffer-Sacke zu nennen pflegen. Obnlengst (ita pergit citatus auctor) schrieb ein kluger Mann recht sinnreich: von dreißig Jahren her hat es geheissen Piper Peperit Pecuniam; aber jetzt mag es bey etliüber heissen, Pecunia Peperit Patricios.*

rum quodammodo potiti, protinus quoque nobilium sibi arrogarent, vel inuaderent potius iura. Quod cum agre ferrent tum nobiles antiqui, nouorumque istorum hominum olim domini, tum ciues reliqui, visum tandem est, vt, qui cunque afferere veram *autamque* nobilitatem possent, immunes & vectigalium & tributorum essent, adeoque nobilium iure censerentur; ceteri autem cum plebeis quævis onera tolerarent. Vid. omnino Matth. Vossium, *Lib. 8. Annal. Holland. ad annum 1335.* &, qui hunc etiam laudat, celeberrimum Hertium in *Opusculis cit. loc. pag. 486.* Schilterum in *Comment. ad Ius Feud. Alem. L. I. c. 2. §. 24.*

## §. XVI.

Quandoquidem vero *autam* nobilitatem probare, non minus difficile fuit ex iusta seruitute haud ita pridem manus sis, quam, hoc non præstito, affectata semel nobilitate carere, probosum; itaque ad Imperatoris auctoritatem, ceu, communem quandam fontem atque radicem omnium dignitatum, prouocatum, nataliumque defectui ex solennibus tabulis & insignibus, ab Augusto impetratis, remedium quæsum est. Quæ quidem origo est nobilitatis, vt ita loquar, *codiciliaris, seu diplomatica.*

## §. XVII.

Enim vero, sicut antiquarum familiarum conseruatio in optimæ ciuitatis institutis quoquis tempore meritissime numerata est; quemadmodum ex aduerso earum oppressiones multis rebus publicis fuerunt exitiose: ita non omnibus promiscue supplicantibus illico concessa ab Imperatore sunt nobilitatis diplomata; verum oportuit illos ante omnia monstrare, iam iam per aliquot progenitorum gradus se libertate gauisos, neque adeo indignos esse ceterorum nobilium statu

ac censu. Hinc ergo auorum & proauorum recitandorum necessitas, in obtinendis nobilitatis tabulis, repetenda venit.

### §. XVIII.

Hoc pacto minus quidem offendere videbantur antiquæ familie, illudque etiam præcipui habebant præ nouis istis hominibus, quod equidem horum aliquot maiores ingenui, sed tamen plebeii saltem ciuicique ordinis fuerint; contra illi patres etiam nobiles iusta serie cire possent, propterea que ceteris re vera essent generosiores. Sed hoc tamen male habuit auita nobilitate præditos, quod illi recens creati publicis suis & ab Imperiali splendore impetratis tabulis, nimium veluti superbirent, ceterosque his destitutos, solaque illa priuata rei estimatione subnixos, infra se despicerent inciperent.

### §. XIX.

Huius rei indignitate, accedente etiam sequioris seculi ignorantia, haud pauci ex veteribus Germanie nobilibus commoti fuerunt, ut & ipsi adirent Cæsarem, specialique diplomate nobilitatem sibi confirmari peterent, obtinerentque. Caeu itaque existimes, vel omnes nobilitatis tabulis hodie instrutos quondam in seruitute fuisse, vel his destitutos ab ordine nobilium excludendos esse. Inualidum quippe est vtriusque illius consecutionis filum. Sane quicunque docere possunt, quod a longissimo tempore ab omnibus habitu & agniti sint pro nobilibus, etsi nullum diploma decoris sui producere possint, tamen optimo iure nobiles se ferunt. Sicut recte pronunciat Vlr. Huberus in nobili, *de Iure Ciuitatis, Opere Lib. 2. sect. 2. cap. 4. n. 28.*

### §. XX.

Ceterum cum tanta esse cœperit natalium consideratio  
ac

ac præstantia, usque adeo ut noui etiam homines magis placere sibi aliisque viderentur, vbi non solum ad natos natorum & qui nascuntur ab illis, verum etiam, effectu iuris retrogrado, ad patrum patres & qui putrefacti ante illos, codicillaris illa nobilitas extenderetur, creditum hinc est, a solis natalibus estimandam venire nobilitatem, adeoque nihil aliud eam esse, quam excellentiam generis, ex claritudine maiorum ad posteros propagata. Quo pertinent quæ copiose differit Tiraquellus, *Tract. de Nobilit. cap. I.*

## §. XXI.

At enim si nobilitas semper aliquam vetustatem requirit, adeoque non nisi per traducem, & natalibus communicatur, a nobilium ordine separandi veniunt omnes ii, qui pro suis tantum personis nobilitate donantur, ut aliqui equites aurati, quos vocant, ac comites palatini, quin & omnes, qui primi insignia nobilia in suam gentem intulerunt; quos tamen iura nobilium vel maxime habere constat. Itaque hunc in modum formanda erit nobilitatis definitio: quod sit, *dignitas ex claritudine maiorum ad posteros propagata, vel cuiquam specialiter tributa.* Consule Huberum, *cit. loco.*

## §. XXII.

Quam vero specialis illa concessio ex variis causis fieri possit, & natales etiam in se spectati haud tribuant præstantiorem animum eximiamque virtutem, adeoque nobiles præ plebeiis naturaliter nulla prærogativa gaudeant; sed ea oriantur ex impositione & indultu ciuitatis, quæ constituit, vt certus status, cui annexa certa iura, gradusque existimatio-  
nis, in aliquem semel collatus, ad ipsius posteros, citra nouam collationem per solos natales deriuetur; qua impositio-  
ne sublata vel splendidissimi natales a plebeiis ne hilum qui-  
dem

discrepant: add. Pufend. de *Iur. Nat. & Gent.* Lib. 8. c. 4. §. 26. merito hinc disquiritur, vnde claritudo illa parentum, ex qua reputatio nobilitatis, æstimari debeat, & quodnam sit optimum legitimumque specialis concessionis fundamentum.

### §. XXIII.

Constat autem civili ac naturali ratione, vsu etiam gentium comprobata, præcipuam nobilitatem iis officiis contineri, quæ in administranda tuendaque vel ornanda republica versantur: cum enim haec sint ipsius summæ potestatis partes, quibus constituitur, & vnde muneris, quod illa sustinet, fastigium est, eiusque veneratio sanctitasque proficiuntur; non potest non esse præcipua in republica eorum officiorum dignitas atque nobilitas, qua de huius muneris administratione vel in consilio principis, vel iurisdictionis potestate, vel alio, togatae aut armatae militiae genere, participant. Conf. ill. Dn. de Cocceii, *de Potestate Statuum Imperii circa dignitates*, cap. I. §. 16.

### §. XXIV.

Merito hinc apud Græcos & Romanos illi præcipue nobiles habebantur, quorum vel maiores progenitoresque, vel qui ipsi, honores & insignia reipublicæ munera gesserunt. Legebantur enim & ex plebe & ex ordine equestri ad magistratum; & ita lecti semper desinebant esse plebeii, seu equestris ordinis, & facti inde sunt ordinis senatorii. Hinc & iudices Romanorum nobiles fuere, non plebeii, sicut constat ex lege 12. C. de Dignitatibus, vbi pœnae loco statuitur, ut iudices, si sceleribus se maculassent, honore exuti, inter plebeios habeantur. Omnes igitur honores adepti plebeiorum censui exempti, & contra honoribus priuati in plebeiorum censum redacti fuerunt. vid. Bodinus de Republ. Lib. 6. p. m. 1213. Dn. Coccei. cit. loc.

### §. XXV.

## §. XXV.

Excellentior autem nobilitatis gradus apud Romanos eorum fuit, qui patres etiam, magnis reipublicæ muneribus functos, ciere poterant, quique non suas tantum, sed & maiorum suorum habuerunt imagines. Itaque patricii primi nobiles habitu sunt; quemadmodum etiam hi primi posuerunt imagines, quod iis primis curules magistratus, ut consulatus, censura, patuerunt; vnde ius imaginis fuit, seu ius nobilitatis. Etenim ut imago a magistratu proficiscitur, sic nobilitas ab imagine: qua de causa etiam sæpe imagines pro nobilitate sunt positæ. Compara Car. Sigonium, *de antiqu. iure ciuium Rom. Tom. I. Lib. 2. cap. 20.*

## §. XXVI.

Sic igitur posterioribus temporibus Romani nobiles non constituebant peculiarem ordinem, & per insignia iura a reliquis distinctum; sed prout quis multas sumosas imagines in atrio disposuerat, aut propria virtute ad honores adspirauerat: ita maiorum vel propriis meritis nobilis censebatur. Cumque rem publicam non solum armis decoratam, sed & legibus oporteat esse armatam, ut vtrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari, ea que propter in se non minoris sint, quæ togati honores in rem publicam possunt conferre, quam quæ sagati, manifeste appareat Romanam nobilitatem non ex hisce solum, sed cum maxime etiam ex illis, estimatam fuisse. Conf. Pufend. *de Iure Nat. & Gent.*  
*Lib. 8. cap. 4. §. 29.*

## §. XXVII.

Quemadmodum vero gentes Germanicæ, quæ per vniuersam Europam se diffuderunt, in quam plurimis aliis  
causis

caussis imitati sunt, ac velut propria sibi fecerunt, salutaria Romanorum instituta: ita quoque in aestimanda vera, hoc est, ex virtute & rebus præclare gestis, deducta nobilitate, siue hæc gentilitia, siue personalis sit, idem factum esse, sine magna difficultate monstrari potest.

## §. XXVIII.

Nimirum ex quo Germania, Francorum auspiciis, vnius reipublicæ formam & faciem induit, varii generis officia ac ministeria publica fuerunt introducta, quæ ab antiquis Teutoniae populis penitus ignorabantur. Quo enim laxior est respublica, eo minus potest imperantium & parentium ordo, per quem ciuilem felicitatem comparari constat, haberi aliter, quam ut imperium per plures veluti canales diffundatur; & quum superesse rebus omnibus solus ciuitatis rector nequeat, alii in partes curarum vocentur, quorum sapienti consilio ac ministerio magnam illam imperii molem leuorem reddere liceat. Pauca enim aliqua vnum videat, vnum audiatur: at esse debent multi regis oculi, & multæ aures.

## §. XXIX.

Illiæc officia in vniuersum vel maiora sunt, vel minora, quorum illa etiam honores, hæc ministeria, in strictiore significatu vocari possunt. Vtraque etiam duplicitur generis sunt, alia quippe ad ipsam reipublicæ, administrationem in aliqua parte pertinentia, alia contra vnicem ad principis personam, eidemque necessaria seruitia, comparata. Quæ ad ipsius ciuitatis procurationem faciunt munera, iterum duorum generum existunt; vnum est eorum, quæ annexam habent potestatem regalem, hoc est, facultatem regalia quoque exercendi iura; alterum vero istiusmodi

modi complectitur officia, quæ sublimi hac procuratione sunt  
destituta.

## §. XXX.

Iam quidem superius expositum est, *nobile* seu *noscibile* dici, quod in vnoquoque genere præstans est atque exiguum. Hinc vero facile appetet, quænam sint officia nobilia, quæ ignobilia. Nimirum ut dignitatum variū sunt gradus, ita in *Nobilissimatu*, vt ita loquar, (qui tamen apud Romanos paulo alter acceptus, atque apex fuit omnium ceterorum dignitatum, solisque Cæsaribus & eorum liberis competuit, vid. Gutherius, *de Offic. Dom. Aug. Lib. I. cap. 4.*) primo omnium loco constituta sunt officia, quibus regalium iurium administratio annexa est.

## §. XXXI.

Quam ob rem si administer aliquis sine in sagō, sine  
in toga, &c, quod hanc spectat, sine in curia & foro, sine in  
ecclesia, eam ad dignitatem euectus sit, vt illorum iurium  
procurationem habeat, quæ vel directo & principaliter ad  
statum & gubernationem reipublicæ pertinent, vel secun-  
dario sâtem ad sustinendam principis dignitatem referuntur,  
ille vere nobile, & quidem regale, officium gerere intelligi-  
gitur. Quo circa etiam si plebeia ac ciuica originis homo,  
meritorum virtute ad talismodi functionem adspirauerit, ta-  
men eum vere nobilem esse, omnibus priuilegiis, iuribus,  
& emolumentis, quæ illustri officio alias tributa sunt, gau-  
dere, eisdemque etiam aduersus genere nobiles, seu genti-  
les homines, frui debere, censendum est. Quemadmodum  
ex aduerso si quis, iam per se natalium splendore præfulgens,  
prædictis reipublicæ muneribus ornatus sit, hunc dupli-  
 nomine nobilem iure optimo maximoque dixeris.

## §. XXXII.

## §. XXXII.

Proximum ab his officiis nobilis gradum tuentur, qui quidem etiam spectabili quodam munere, vel in ipsa republika, vel in principali domo aut familia, vel alio modo funguntur; sed tamen cum regalium iurium administratione nihil quidquam habent negotii. Huius generis sunt decantatissima illa quatuor officia aulica, v. g. dapiferatus, pincernatus, & quæ, cultioris seculi vsu, his accesserunt plura. Quæ quidem nobilioris ordinis extra controuersiam sunt ministeria, *adeliche Chargen*, usque adeo, ut non aliis, nisi gentilibus hominibus, soleant conferri; sed tamen in regalibus officiis numerari haudquaquam merentur.

## §. XXXIII.

In his igitur, & similis generis functionibus, ipsa munieris dignitas & ratio olim pariter ac hodie tribuit nobilitatem, ut alia eius concessione & collatione opus non sit. Quapropter manifeste constat, ab omni ratione, & ab institutis ac legibus Germaniae alienissimum esse, has publicorum officiorum, & in primis reipublicæ iustitiaeque tuenda consecrata dignitates, in ciuicum, ut vocant, vel plebeium ordinem detrudere, &, quæ maioris nobilitatis nomina sunt, nobilibus opponere: cum ista distinctio, inter plebeios ac nobiles, ipsas reipublicæ dignitates nullo modo contingat, nec ad eos qui in publicis honoribus constituti, horumque collatione maiorem dignitatem consecuti sunt, pertineat; sed reliquos priuatæ conditionis ciues ab iniucem secernat. Hi enim ab antiquo duplice discriminè habitu, & hinc duplex eorum ordo, plebeiorum ac nobilium. Quæ hactenus recitata sententia est illultris Coccoei, in *Dissert de Potest. Statuum, circa dignitates, cap. 2. §. 19.* Quam non iafingunt dubia

dubia celeberrimi post fata etiam ICti, Georg. Beyeri, in *Specimine Iur. German.* cap. 2. §. 26. & seq. dummodo statum nobilitatis mediæ ac hodierni æui, nobilitatem item personalem ac gentilitiam, denique etiam ea quæ de iure, & quæ de facto sunt, curatiore iudicij lance ab inuicem secernamus.

## §. XXXIV.

Manifeste itaque apparet, quænam sit vera cauſa præstantiæ illius ac prærogatiuæ, quam aliqui ciues vel a natalibus suis & claritudine generis habent, vel propria virtute adepti sunt; nimirus quod aut progenitores eorum, rebus in toga fagoque, domi ac militiae, præclare gestis, ex publico principis aliorumque ciuium iudicio, hoc meruerunt, ut sanguini etiam ac progeniei eorum, more ab Romanis recepto, honor aliquis tribueretur; aut quod ipsi præcipuis in republica dignitatibus præfulgent. Quorum vtrumque si in eadem persona, sicut hodie frequenter euenit, concurrat, hanc in excellentiore gradu duplice nomine nobilem esse, iterum iterumque pronunciamus.

## §. XXXV.

Et propriæ quidem virtuti, in illustri præfertim functione occupata, honos & veneratio meritissime debetur, quod prolixa non opus habet demonstratione. Ratio autem impulsiva, recipienda primitus nobilitatis *gentilitie*, fuit hæc sine dubio, quod populi sperarent, virtutes eorum, qui bene rempublicam gesserant, imitatuos esse, qui nascerentur ab illis. Item ut eo magis quilibet ad virtutem accenderetur, si intelligeret, se non peritaram, verum usque ad seros nepotes victuram dignitatem esse adepturum. Vide, si lubet, laudatum Huberum de *Iure ciuit. cit. loc. n. 37.*

## C

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Ex superioribus fluit, nobilitatem istam *officialēm* esse eminentiam quandam & prærogatiuam, summæ potestatis, & quæ huic æmula est, decreto, ob merita conspicua in rem publicam, & propter functionis dignitatem, certis personis, earumque aliquando progeniei tributam, illas a vulgari plebis sorte eximentem, variisque beneficiis ac priuilegiis exornantem. Vnde facile constat, ipsum Officium nobile, ab adiuncta qualitate sic dictum, esse, quod prærogatiuas ac priuilegia nobilitatis annexa habet, atque in eum, qui illud administrat, ipso facto transfert. Vide Dn. Cocceii, c. I. c. I. §. 22. vbi tamen *numero precedente* recte monet, quod interdum nobilitas quædam concedatur iis quoque, qui non sunt in tali, vt dictum, officio publico constituti. Quo tamen casu illa potius consistit in quibusdam beneficiis, immunitatibus & prærogatiuis, quæ regulariter competere dignitatibus & officiis solent, sed arbitrio principis aliis quoque concedi possunt. Vnde sententia crebrioribus eruditorum calculis probata, *Doctores esse nobiles*: de qua prolixe agit Tiraquellus, de Nobilit. cap. 5.

## §. XXXVII.

Hinc vero appetet, consentaneam veritati omnino esse illorum opinionem, qui tam superioris, quam inferioris nobilitatis gradum ex dignitate militari repetendum esse duxerunt. Vid. Lud. Hugo, de Stat. Reg. Germ. c. 4. §. 22. Hert. de Feudo nob. Sect. 3. §. 3. Quamquam enim nos hactenus de officiis publicis saltem loquuti sumus; constat tamen *militiam*, usi juris nostri, dici omnem functionem ordinariam, qua quis operam suam nauat vel principi vel reipublica. Quam in rem consuli potest nobile par ICC. Hugo Donellus, in

Com-

Comment. ad L. vlt. Cod. de Pignor. & Franc. Connarus,  
 Comment. Jur. Ciuit. Lib. VI. cap. 15. vbi militias nihil aliud,  
 quam officia fuisse, militarumque & officiorum nomine idem  
 significari, manifestissime demonstrant. Adde Ioh. Frid.  
 Rhetium, in Comment. Jur. Feud. Lib. I. Tit. 21. in princ.  
 Sed hoc tamen ire nolumus inficias, quod, quemadmodum  
 plerumque usu venit, ut quæque res ex maiore parte æstime-  
 tur, eiusque inde fiat denominatio, ita quoque virtuti ac  
 functioni bellicæ partes nobilitatis frequentius detulerint gen-  
 tes Germanicæ, bellis quippe singulariter adsuetae, in illis-  
 que maximam fortunarum suarum partem collocare solitaæ.  
 De cetero autem togatis etiam honoribus tributa omnino  
 fuit nobilitas. Neque illa ratio proferri potest, quare id  
 minus iuris fuerit, minùsve hodie moris esse debeat. Add.  
 Franc. Hotomann. de Feudi Orig. cap. I. n. 40.

## §. XXXVIII.

Sequitur, vt ad feudi nobilis explicationem aggredia-  
 mur. In hac vero mirum est quam Doctores abeant in di-  
 uersa sententiarum diuortia. Aliis quippe a causa efficiente,  
 aliis a scopo sive destinatione feudum conferentis, aliis ab  
 effectu, aliis ab obiecto, aliis ab adjuncta qualitate, aliis a  
 subiecto passiō, aliis ex tenore inuestituræ, aliis ex nume-  
 ro subditorum, aliis ex quantitate & qualitate præstationum  
 ac redditum, aliis ex loci sive curiæ feudalis consuetudine,  
 aliis aliunde feudum nobile definendum esse opinantibus.  
 Quid, quod non desint, qui distinctionem feudi, *in nobile*  
*ac ignobile* plane reiiciunt, præsertim quod ea in nostris feu-  
 dorum libellis conceptis verbis non occurrat; omne feodium,  
 saltem priscis temporibus nobile fuisse, existimantes. Adeat,  
 qui volet, Helfr. Ulric. Hunnium, in Tract. Feud. cap. 6. vbi  
*varios variarum illarum sententiarum laudat auctores.*

## C 2

## §. XXXIX.

## §. XXXIX.

Hasce difficultates superari posse existimat illustris Hertius, *de Feudo Nobili*, *Sect. IV.* §. 4. si distinguatur origo rei, ab eius progressione. Quam quidem compositionis rationem nos etiam admittimus; sed longe aliter, quam a laudato viro factum est, explicamus: hoc insuper monentes, quod eius doctrina tum priscis feudorum institutis, tum usibus hodiernis repugnare videatur, quando afferit, primam ac propriam feudi nobilis concessionem soli Imperatori in acceptis ferendam esse, adeoque regionum Germaniae Dominos non nisi nobilibus, ab Imperatore factis, feuda nobilia conferre posse.

## §. XL.

Nimirum feuda, quod etiam vis vocis, & primæ institutionis ratio monstrat, nihil aliud erant, quam certa prædia, reipublicæ administris, & in sagata potissimum militia occupatis, salarii atque stipendiī loco, a principibus assignata. Quoniam enim sub initium rerum publicarum, & constitutorum adeo officiorum publicorum, potissimæ diuitiæ in prædiis & agricultura consistebant, hinc ministrorum quoque salario in his potissimum constitui necesse erat. Vid. pluribus Dn. Præses, *de Paribus Reipubl. Ministri & Vasallis iuribus cap. 2.*

## §. XLI.

Præclare in hanc rem scribit Dn. de Cocceii, in *Iuris Publ. Prudent. cap. 15.* §. 9. ac in *Hypomnemat. Iur. Feud. Tit. I.* *Apud Romanos magistratus populi Romani ex erario publico stipendia sua accipiebant,* (confer tamen Legem 2. &c. 3. Cod. de Fundis Limitrophis; & his iunge etiam in Orientali Imperio κτηματα σπασιωνα, possessiones militares; de qui-

quibus Constantini Porphyrogennetæ Nouella extat apud Leunclauium, sed emendatior apud Car. Labbæum, & Ioh. Meursium) Sed more antiquo Francorum fidelibus regni, uti dicebantur omnes, qui vel officia in regno, eiusque parte gerebant, vel ministeria in bello ac aula prestabant, concessæ sunt certa terre ac prædia, ut eorum redditus, vel redditus parte, quin & iuribus, quandoque etiam regalibus vterentur, quasi loco salarii, & ad sustinendam dignitatem ac familiam. Accurately id de Comitibus explicat Lehmann. Chron. Spir. Lib. 2. cap. 17. quando ait: Dass sie zur Erhaltung ihres Standes vom Kanig und dem Reich sonderbare Güther an Wäldern, Aeckern, und Wäffern, und darzu gehörigen Gerechtigkeiten, in Besitz und zu nutzen und niessen, auch sonderbare Kanigliche Leibeigene gehabt, die solche Güther der Herrschafft zu Nutz erbauen müssen.

## §. XLII.

Fuerunt itaque olim certa prædia certis officiis ac ministeriis auctoramenti loco annexa. Quod vero in aliis rebus sæpen numero vsu venire solet, vt ab adiuncta qualitate, itemque a scopo & destinatione, vel ab effectu, suam accipient denominationem, idque sexcenta, etiam ex ipsis feudorum placitis desumpta probant exempla, v. g. quando ex veriore sententia feendum ecclesiasticum seu presbyteriale, *Priester oder Pfarr-Lehn*, proprie dicitur, quod propter officium seu munus ecclesiasticum alicui concessum est: idem quoque illud, si originem rei spectes, circa feudi nobilis appellacionem evocasse, persuasum habemus.

## §. XLIII.

Quemadmodum enim superius monstratum est, quedam officia maiora seu nobilia, quadam contra minora seu

C 3

igno-

ingnobia fuisse, atque illa rursus vel regalia vel non regalia, hoc est, vel cum potestate regalia iura principis nomine exercendi, vel sine hac, constituta; & vero utriusque generis officiis de salario prospiciendum fuit: ita quidem euenit, ut a scopo ac destinatione, aut, si maiis, ab adiuncta qualitate, quædam feuda seu prædia stipendiaria, nobilia dicta sint, quædam ignobilia, atque illa rursus vel regalia, vel non regalia.

### §. XLIV.

Obseruandum vero hoc loco est, regulariter saltem præcipuae dignitatis officialibus ipsa prædia, vtenda fruendaque tradita, inferioris autem conditionis ac ministerii hominibus certam duntaxat fructuum ac publicorum reddituum portionem quotannis deputatam ac præstamat fuisse; qua ex re feudorum, que vulgo de camera & de cauena dicuntur, origo repetenda venit: quæ quidem hoc nomine impropria esse non male dicuntur, quod naturaliter feudi obiectum esse debet res immobilis. Add. Thom. Cragius, *de Feudis Scot. Lib. I. p. 61. edit. Londin.*

### §. XLV.

Præterea notandum hic est, quod eapropter tantum illi præcipuae dignationis officiales, quibus ipsa feuda ac prædia stipendiaria tradita fuerunt, vasalli propriæ dicti appellati, ceteri autem quibus solum fructuum portio assignata, aliter nuncupati sint. Bene in hanc rem scribit Freherus, *in Notis ac Constitutionem Caroli Crassi*, vt vulgo creditur, *de Feudis*: *Qui feuda a principibus non habent, affidati, clientes, stipendiati, ministeriales, palatini eorum sunt, & quotidie ad servendum parati esse debent. Diuersi ergo ministeriales a vasallis, re & nominibus, quibus in antiquis instrumentis separantur. Cui adde Veterem Auctorem de Beneficiis, cura illustris Viri, Christiani Thomasii, editum, §. 131. itemque Hertium, in Diff. de Subiecto.*

*iect. Territor. §. XI. Eybenium, in Electis Iuris Feudalis  
cap. 9. §. 10.*

## §. XLVI.

Porro hoc etiam tenendum est, solum præcipui generis officiales, qui vetusta Longobardorum voce *vasalli* proprie vocati, *nobiles* fuisse, vt pote partim ab nobili, quo fungebantur, officio, partim vero a feudalii prædii possessione, nobilitatis ornamentum mutuatos. Atque hoc est, quod supra §. XI. dixi, continuasse petitam antiquissimis temporibus (quibus tamen nequaquam æcum Taciti aut Juli Cæsaris, sed solum prima Francorum proximeque antecedentia tempora, indigitare volui) a prædiorum possessione prærogatiuam, ad nobilitatem vel plane adquirendam, vel saltē tuendam ornandamque. Haud secus ac hodieque in Imperio Romano-Germanico ad conferendam & adquirendam nobilitatem maiorem opes ac prædiorum possessiones requiruntur, quæ dignitatis splendori respondeant. vid. Capitul. Carolin. artic. I. Ceteri autem ac inferioris generis fideles, qui deinde propriis nominibus *ministeriales*, *milites*, *Dienst-Leute*, &c. appellati, plerumque *ignobiles*, seu *plebeii* ordinis fuerunt, vt pote & a munera sui ratione, & ab exiguo eius auctoramento, omni dignatione ac prærogatiua destituti. Atque hoc est, quod dicit Obertus de Orto II. Feud. X. Ceteri vero qui ab antiquis temporibus beneficium non teneant, licet nouiter a capitaneis ac valuatoribus adquisierint, plebeii nihilominus sunt. Nam illi qui soldatam habuerunt vel acceperunt, vel habent, per eam nullum pedagium, sed nec feudi usum acquirunt. Soldata autem est prestatio quedam annua gratuita, quæ a neutra parte transit in heredem. Morte enim dantis vel accipiendois interueniente finitur. Soldata vero dicitur, quia plerumque in solidorum donatione conslit, quandoque autem in vino & annonæ conslit.

## §. XLVII.

## §. XLVII.

Integrum, quem citavi, textum exscribere, & compendiariæ Disputationis ratio, & in aliis quoque, quæ propositæ sunt rebus, ab omni scriptoris prolixitate consulto abstinentis, nudamque veritatem, aut verisimilitudinem saltem, hac vice proposuisse contenti intentio, prohibuit. De cetero, uti locus ille cuius est obuius, ita sane iusta ex antiquitatibus feudalibus illustratione dignus videtur. Inprimis autem distinctio feudi, in nobile ac ignobile, in eo manifestissimum habet fundamentum. Vnde falluntur atque fallunt, qui iure Longobardorum omnes vasallos, eo ipso quod vasalli sint, Nobiles esse existimant, adeoque omnia feuda, etiam improprie dicta, pro nobilibus habere volunt. Add. II. F. 34. §. 1.

## §. XLVIII.

Secundo, ex cit. cap. II. F. 10. manifeste probatur, solam illam, quam supra dixi, prædii, etiam feudalis, & cum militia coniuncti possessionem, illo tempore nobilitatem non amplius simpliciter importasse; sed hoc saltem casu, vbi quis vel longam annorum seriem numerare potuit, qua feudum, onusque militæ ei annexum, in familia sua refederit, vel si quis de feudo aliquo nouiter quidem, attamen vel ab ipso Imperatore, vel a Duce, Marchione, aut Comite, inuestitus fuit.

## §. XLIX.

Tertio, hoc etiam ex citato capitulo constat, varios nobilium vasallorum gradus atque ordines fuisse. Quorum primus est regali dignitate pollutum, & ab ipso Imperatore de Ducatu, aut Marchia, aut Comitatu inuestitorum; secundus Capitanorum, seu Valuasorum maiorum in specie ita dicto-

distorum, qui scilicet, absque dignitate regali, ad totius quippe  
provincie gubernationem spectante, tantum de plebe aliqua vel  
plebis parte, v.g. vrbe, castro, &c. cum potestate quadam &  
iurisdictione sunt uestiti. *Tertius* ordo siue gradus nobili-  
lum vasallorum est eorum, qui ab aliquo secundi ordinis  
vasallo, seu valvasore maiore, feuda acceperunt, ac longo  
tempore tenuerunt. *Quartus* ordo siue gradus huius generis  
vasallorum est eorum, qui a tertii ordinis vasallis, siue a valvaso-  
ribus minoribus, feuda acceperunt, & longo tempore tenuerunt  
vid. Bitschium, in *doctissimo ad cit. loc. Commentario*, &  
Struuum, in *Syntagm. Iur. Feud. cap. 3. apb. 5.*

## §. L.

Ceterum quid varia illa vasallorum nobilium nomina  
tum vi vocis, tum in re ipsa significant, nemo, arbitror,  
perfecte explicare poterit, nisi qui veteris pariter ac hodierni  
ævi instituta, de subalternatione seu subordinatione officia-  
lium, in sago præsertim, simulque quidnam sermone priico  
*vassorum, vassorumque vassorum*, ac *vassallorum* vocabula no-  
tauerint, penitus intellexerit. Nos in præsenti quidem hæc  
linquimus, benevolunque Lectorem, plura desiderantem, ad  
incomparabilis Schilteri Commentarium, *ad Rubricam iuris  
feud. Alemann. cap. 1. §. 1.* ubi de septem clypeis militaribus,  
ablegamus; vnum hoc addentes, videlicet, sine magna diffi-  
cultate ex superioribus patere, cur medii ævi scriporibus, Du-  
ces solummodo, Principes & Comites, nequaquam vero  
equestris, qui hodie dicitur, ordinis homines, *viri nobiles* ap-  
pellati, ac pro nobilibus reputati sint. Add. Dn. de Plönnies,  
de Ministerialibus, *Thef. XXII.*

## §. LI.

Quibus ita præmissis, surgit definitio feudi nobilis,

D

in

in vera ac primigenea sua indole spectati, quod scil. propter officia, in nobiliore reipublicæ parte, vel principis aula præstanta, in re immobili, sub lege fidelitatis aliqui concessum est, accipientemque variorum iurium ac privilegiorum facit partem. Ex qua breuissimis, consecrarii loco, deducimus, Status ac Principes Imperii omni tempore eadem ratione feuda nobilia concedere potuisse, qua quidem illustres nobilesque dignitates administris suis conferendi, potestatem habent. Qua de pluribus videri potest laudatus aliquoties Dn. de Cocceii, de Pestate Statuum circa dignitates.

## §. LI.

Proximum est ut moneamus, quod prima feudorum nobilium instituta, & eorum cum maxime, quæ cum regali potestate secularibus principibus concessa fuerunt, temporum vsu, tantopere sint mutata, vt in multis, si noxiæ excipias, prisæ indolis nihil fere quidquam supersit. Ecce enim, ipsæ dignitates quandam nihil aliud erant, quam præfecturæ quadam personales ac temporarie, minime hereditarie: in prædiis autem stipendiariis tantummodo quadam ususfructus ratio constituta fuit. Postea temporis & officiales & magistratus redditii sunt perpetui, quin tales esse plane desierunt; prædia vero stipendiaria iure quodam dominii possideri, atque hereditario veluti titulo, vna cum omnibus iuribus & immunitatibus, ad heredes transmitti cœperunt. Qua de re pluribus agit Dn. Præses, in Dissert. de Caussis mutati feudorum iuris.

## §. LII.

Quibus rebus adducti sunt multi eorum, qui prædia sua allodiali titulo adhuc possederunt, vt in feudum ea offerrent principibus, & pro commido lucrandæ iurisdictionis, immunitatisque ab oneribus publicis, equestria sponderent serui-

seruitia, adeoque nominetenus saltem in officialium numerum reciperentur. Accesserunt deinde aliae quoque mutationis causae, & pro ratione, loci, temporis, aliarumque circumstantiarum varie transformari coepit feendum nobile. Nam que olim, quo perpetuo milite quasi praesidiario instructum esset Imperium, ratio inuenta est, qua eos, qui virtute bellica præstabant, cum omni posteritate militiae consecrarent, certis quibusdam bonis, solenni ceremonia illis assignatis, hac lege, ut ipsi eorumque posteri masculi iis fruantur quidem, sed vicissim ad militiam subeundam, cum usus foret, parati essent. Qua ex causa infinita velut *Servorum nobilium* multitudo, quos *Edel-Schalke Edel-Knechte* appellari constat, opere pluit Germaniam. Verum hodie feudorum nobilium deprehendas possessores, in nulla prorsus reipublica parte occupatos. Et hoc est secundaria illorum iudeoles. Confer omnino Lud. Hugonem, *de Stat. Region. Germ.* cap. 4. §. 22. ac *Hertium, de Feudo Nobili.*

## §. LIV.

Quamquam vero non Imperator tantum, in partibus Imperii, sed Status etiam in suis territoriis, Officia nobilia tam regalia quam non-regalia, toto quasi die constituant, in primis quod elegantioris seculi usu, atque maiore rerum publicarum cultu, noua subinde excogitantur splendidissimarum functionum genera: rarius tamen euenire solet, ut integræ terra seu prædia assignentur vel in supremis honoribus constitutis, adeoque regalia quoque iura procurantibus administris. Terruisse quippe Principes videntur veterum officialium vestigia, qui prædiorum intuitu se necessarios veluti, ut ita loquar, effecerunt, posthabitaque, aut in propriis saltem usus conuersa, munerum suorum ratione, haec una cum ipsis fundis, ad similitudinem allodiorum, transmiserunt ad posteros. Cui accedit, quod argentum & aurum neque propitiis

pitii neque irati Dii hodie negauerint Germanis. Quam ob rem dantur quidem nunc etiam officia reipublicæ nobilia, hoc est, absque vlla alia concessione nobilitatem tacite tribuentia; verum feuda hisce adscripta, veterum ministerialium more, magis de camera & de cauena, quam proprie sic dicta esse, intelliguntur.

Sed hæc sunt, quæ pro virium imbecillitate, temporis que ac instituti ratione, Specimenis Academicis loco, proponenda habui. Bonum atque benevolum Lectorem, vt erranti comiter monstret viam, rogo: DEO autem O. M. laudes & gratias dico sempiternas.


VIRO IVVENI  
NOBILISSIMO ET PRAECLARE DOCTO  
**ADAMO ANTONIO MEYERO**  
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.  
**C. ACHATIVS BECKIVS , D.**

**A**deo memor fuisti nominis Tui, quod per hos aliquot annos in Academia Ienensi professus es, Amicorum suauissime, vt communi eorum, qui Te propius norunt iudicio, omnes strenui Iurisprudentie Cultoris numeros impleueris. Neque enim auditor tantum sedulus in Philosophorum pariter ac Iurisconsultorum scholis fuisti optimarum doctrinarum, sed earum quoque curiosus in Museo scrutator, & in auditoriis scientis disceptator. Qua ratione vt egregium plane exemplum omnibus Tui ordinis adolescentibus, quod sequantur, prebuisti; ita tum de publico eruditiois specimine, tum de felicitate exantlatis Academicorum studiorum laboribus, ex animo Tibi gratulor, eosque porro rerum omnium appreco successus, qui diuinæ voluntatis lege probitatem ac industriam indubitate consequuntur. Vale, & me amare perge.

\* \* \*














155077

ULB Halle  
003 856 860

3



5b.

Vd 17

ad. H. f.



EXERCITATIONEM ACADEMICAM  
DE  
**VERA INDOLE**  
**FEVDI ET OFFICII**  
**NOBILIS**  
*ADSPIRANTE DIVINA GRATIA*  
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO**  
**SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO**  
**DOMINO**  
**WILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE ET RELIQA,  
SVB PRAESIDIO  
**CASPARIS ACHATII BECKII, D.**  
IVR. PROFESSORIS PVBLICI EXTRAORD. SCABINATVS ASSESSORIS  
ET CVRIAЕ PROVINC. SAXON. ADVOCATI ORDINARI  
*PRAECEPTORIS AC HOSPITIS SVI*  
*AETATEM COLENDI*  
IN ACADEMIA IENENSI  
D. XXVII. NOVEMBER. MDCCXXII.  
PVBLICO ERVITORVM EXAMINI  
IN AVDITORIO ICC.  
SVBIICIT  
**ADAMVS ANTONIVS MEYER, LL.C.**  
BARVTHO-FRANCVS.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

14